

T H R E N O L O G I Æ

In obitum præmaturum

*Illustris & Generosissimi Domini*H E I N R I C I R U T H E -
N I N A T U M A J O R I S ,

Dynastæ à Plauen, Domini in Graitz, Cra-
nichfeld, Gera, Schlaitz, & Lobenstein, &c. Adolescentuli
quâ præclaram indolem, quâ devotam pietatem, quâ mores ele-
gantissimos, quâ cognitionem literarum
præstantissimi,

*Qui J E N Æ quò studiorum gratiâ se contulerat,
morbo lethali correptus in medio ætatis flore piè placideq; singulari
cum desiderio bonorum omnium decessit & cœlestem in patriam emi-
gravit die XII. Septembr. Hora IX. Vespert.*

Anno M D C I X.

Transitus celerest & avolamus.



J E N Æ

Excusæ typis CHRISTOPHORI LIPPOLDI.

ist. Saxon.

F.

140,14

Sax. Prov. F. 357. Fasti 1609

DEO SACR.
HENRICUS NATU
MAJOR,
HENRICI QUINTI TERTIUS
FILIUS.

RUTHENUS, DYNASTA A PLAVERN, DOMINUS IN
GRAITZ, CRANICHPELD, GERA,
SCHLAITZ ET LOBENSTEIN,
ADOLESCENS

PIETATE, DOCTRINA, VIRTUTE ET VERE
HEROO ANIMO FLORENTIS-
SIMUS,

QUI

NATUS IN ARCE DÖLA ANNO CHRISTE
CLO IO XCIV. XII. DECEMB. HORA
PRIMA MATUTINA.

JENÆ, UBI STUDIORUM CAUSSA MENSES
X. DIES V. ERAT COMMORATUS,
IN IPSO ÆTATIS FLORE

PIE ET PLACIDE OBDORMIVIT,
ANNO CHRISTI CLO IO CIX. XII. SEPT.
HORA NONA VESPERTINA.

CUM

VIXISSET ANNOS XIV. MENS. IX. HOR. XX.
MATRI, FRATRIBUS, SORORIBUS,
FAMILIÆ, PATRIÆ,

ATQUE ADEO OMNIBUS BONIS ÆTERNUM
LUCTUM AC DESIDERIUM
RELINQUENS

GENEROSAS MORTALITATIS EXUVIAS IN
CERTISS. RESURRECT. SPEM
HEIC DEPOSUIT.

PRORECTOR ET
SENATUS ACADEMIÆ
JENENSIS

L. S. P.



Uod hominis vita quicquid tandem præ se ferat dulcedinis & illecebrarum instar habeat graminis & flosculi marcescentis, nec absimilis evanidæ & fugaci sit umbræ, seu potius quod omninò sit nihil, aut si quid infra nihilum cogitari potest: id verò si unquam experiendo didicimus, certè non sine maximo totius Academiæ luctu & consternatione his diebus cognoscere potuimus. Et enim præter omnem expectationem Illustris & Generosissimus D. HEINRICUS RUTHENUS natu major Dynasta à Plauen, Dominus in Graitz, Cranichfeld, Gera, Schlaitz, & Lobenstein, antequam ipsius de morbo ferè quidquam percrebuisset, subito diem clausit ultimū, & cum dignus esset immortalitate, indignâ morte præreptus expiravit. Fuit hic, dum vixit, Adolescentulus genere nobilissimus, ætate florens, dignitate formæ præstans, corporis proceritate conspicuus, indole mirificus; religiosæ pietati impensè deditus, observans Parentum, Tutorum, ac Præceptorum amans bonarū literarū, discēdi cupidus, in convictu humanissimus, in omni vita moderatus, Patriæ certò futurus Præsidio, Matri solatio, Familiæ ornamento sempiterno, si diutius hanc mortalem producere vitam licuisset. Hunc itaque veræ Nobilitatis flosculum, hunc ordinis Scholastici ocellum, hunc principem studiosæ Juven-

tutis cum fata nobis inviderint: quis est qui non sentiat, quam obitus hic tam repentinus Illustri & Generosæ Matri sit luctuosus, quam lamentabilis Fratribus & Sororibus, quam gravis toti Familiæ, quam flebilis omni Patriæ, quam denique funestus huic nostræ Academiæ? O fallaces hominum spes, incerta consilia, vota irrita, conatus inanes, eventus ancipites, qui cum maximè blandiri nobis videntur, optatis nostris minimè omnium respondent. Verùm cum pietas ferre jubeat τὰ μὀρσιμα, quorum mutationem sperare nullam possumus, in DEI voluntate jam acquiescemus, & Domino RUTHENO, cuius anima cælo dudum est recepta, ultimum verissimæ prædicationis, & deductionis honorificæ, quavis aliud mallems, officiolum præstabimus. Natus ille fuit ex pervetustâ Dominorum RUTHENORUM Familiâ, quæ quo tempore in hac interiori Germaniâ inclarescere cœperit, illiteratæ vetustatis incuriâ & injuriâ non satis scire possumus. Hoc verò certum est, illam ipsam multis retrò seculis virtute, auctoritate, potentiâ, opibus, & rerum gestarum gloriâ vicinis in regionibus excelluisse. Quin & in Principum ordinem cooptari meruerunt, aucti dignitate Burggraviatus Misnensis, quam summâ cum laude ad usque nostram ætatem sustinuerunt. Patrem habuit HEINRICUM RUTHENUM cognomento Quintum spectatæ virtutis & moderati-
onis virum, qui mitissimus parens suorum fuit subditorum, & salutem populi semper legem sibi supremam esse putavit: quod genus Magistratum tantò magis à DEO votis ardentissimis expetendum est, quantò jam plures in hac ætate ferreâ rerum potiuntur, quorû suos ad cives hæc sunt αἰτήματα: adesto quoties te vocato: fac & patere quæcunque jussero: quidquid habes volens molensque dependito: quam ad tyrannidem nihil aliud
subse

subsequi potest, quàm magistratus odium, subditorum
 desperatio, utriusque partis egestas, studium rerum no-
 vandarum, & denique everfio imperiorum. Mater ipsi
 fuit **MARIA** ex Illustri & Generosissimâ Baronû **SCHÖN-
 BURGICORUM** Familia oriunda, Matrona omni veræ
 pietatis, casti pudoris, & singularis beneficentiæ lau-
 de præstantissima, cui tantum subiti terroris hic casus
 inopinatus attulit, ut à vitæ periculo parum abfuisse di-
 catur. Puerulus cum esset, & vix balbutire jam incipe-
 ret, plurimas indolis præclarissimæ dedit significatio-
 nes, & exemplo suo, quod animis generosis ea, quæ ab
 aliis utcunque magno labore discuntur, bonam partem
 insita sint, & ingenerata demonstravit. A parentibus &
 præceptorib⁹ suis partim domesticis omnium virtutum
 exemplis, partim morum præceptis sanctissimis ita ma-
 turè quasi fingi cœpit, & instar ceræ mollis informari,
 ut nihil ex ipsius ingenio nisi quod morigerum, quod
 moderatum, quod beneficum, quod blandum & ami-
 cum elucesceret. Cum verò domi apud suos bonarum
 literarum & virtutis firma locasset fundamenta, 10. ante
 menses Jenam ad nos unâ cum **HEINRICO** Medio Fra-
 tre Germano, & **JOHANNÉ-CASPARO** Barone Schön-
 burgico, adolescentulis Generosissimis, ut superstrueret
 cætera, quæ deesse videbantur, se contulit: quod intra
 temporis spaciolum non tantum egregios suis & in stu-
 diis & in moribus fecit progressus, sed etiam *Φιλανθρω-
 πία* suâ plurimum auctoritatis sibi peperit, & amoris
 conciliavit, adeo quidem: ut certò persuasum habemus,
 ex nostris esse neminem, qui ipsi partem aliquam vitæ
 suæ conferre, eius ut prorogaretur vita, non optârit. Sed
 nihil in rebus humanis firmum, stabile, fixum, perma-
 nens, & quæ altissimis nixa radicibus videntur, ea fatû,
 si collibuerit, puncto temporis evertit. Cum die 10. Se-

ptemb. attentione summâ & conciones sacras, & intus
per declamationem publicam audiisset, domum rever-
sus morbo variolarum, quas vocant, decumbere coepit,
cujus tanta vis erat & violentia, ut & medicorum indu-
striam superaret, & ipsam naturam, quæ deficiens huic
malo succubuit, opprimeret. Ille verò interritus se vi-
tamque suam, & salutem D E O, cuius in manibus sitæ
sunt nostræ sortes, commendavit, secuturus quocunque
vocaret, & repetitis sacrarum literarum testimoniis, ac
fufis ad D E U M precibus assiduis hoc ad iter postremum
se præparavit. Beatam efflavit animam die 12. Septemb.
horâ nonâ vespertinâ, cum vixisset annos 14. menses 9.
horas 20. quâ tantillâ ætatulâ, quis non miretur hanc
& corporis & animi maturitatem ipsius Generositati
obtingere potuisse. Quamvis autem meritò lachrymis
omnium oculi madeant, omnia planctibus circumfo-
nent, & ubique lamentationes, & querelæ exaudiantur:
tamen ita nobis lugendum est, ne similes eorum vide-
amur, qui omnem secuturæ restitutionis spem abjece-
runt. Evocatus est hac è vitâ, non ut totus periret, sed
ut secuturas calamitates, quarû fluctus jam passim sur-
gere videmus, effugeret: non ut æterno consopiretur
somnia, sed ut ad clangorem tubæ cœlestis feliciter evi-
gilaret: non ut mansuros in cineres redigeretur, sed ut
quondam ingenti cum gloriâ vitam corpusque suum
reciperet: non ut perpetuo obrueretur tumulto, sed ut
olim è terris emergens raperetur in occursum Christi,
& sempiternâ cum ipso beatitudine frueretur. Die verò
craftino *mediâ octavâ matutinâ* exuvia defuncti Domini
RUTHENI per Salanam portam, ut inferâtur Maiorum
monumentis, in patriam avehantur, quas ut omnes A-
cademiæ nostræ cives honorificè prosequantur, & ad
usque pontem, quo Sala stratus est, modestè deducant,
etiam

etiam atque etiam hortamur. Tum verò in ædem hu-
ius oppidi sacram se recipiant, & attentas præbeant au-
res concioni funebri, quam Reverendus & Clarissim.
D. Superintendens habiturus est in honorem DEI, in
memoriam Demortui, & in nostrum omnium, qui li-
berè vivimus in diem, quasi cum morte nobis diuturnæ
absentiæ pactum intercedat, emendationem. Debemus
hoc pietatis officium Inclytæ Familiæ Dominorum Ru-
THENORUM, quæ semper *εὐεργετική* fuit, & æquissimo
bonas in literulas animo, nostramque Salanam multis
sibi beneficiis obstrinxit. Debemus Matri afflictissimæ,
quæ si aliorum de *συμπάθεια* & lachrymis certior reddi-
ta fuerit, suum ipsa dolorem sibi facilius exhauriri pa-
tietur. Debemus Generosiss. D. HEINRICO RUTHE-
NO vitâ functo, cuius, improbus est & ingratus, qui desi-
derium non sentiat, nec memoriam summâ cum obser-
vantiâ conservet. Denique nobis debemus ipsis, ut qui
in hoc animorum nostrorum lethargo, & torpore non
alia re veram ad pietatem excitari possumus, & inflam-
mari, quàm aspectu cadaverum & assiduâ mortis com-
mentatione. Gratias agimus Filio DEI Domino &
Salvatori nostro, quod morte suâ mortem sustulit, & Ju-
sticiam ac vitam æternam nobis reparavit. P. P. die 26.
Septemb. A. O. R. clæ lœc IX.

Papa-



I.



Ωμαϊκῆ ὑῶ ΡΥΤΤΗΝΟΙΣ, ΣΧΟΝΠΥΡΓΙΑΚΩΙ 7ε,
 γλώττῃ ἀνάξιν ἔλω ἀνλιχαρίζομαι.
 Αὐτὰρ αἰ' αἰ' ΡΥΤΤΗΝΟΣ ἀνάξ ὁ βοηθός ἄμμιν,
 ἦπι ἠδὲ λίπεν Ἴ ηελίοιο φάσ.

ΙΝΡΙΚΟΣ ΡΥΤΤΗΝΟΣ, μείζων, ἠελίοιο
 πτόχθες τῶδε λίπεν Ἴ ηελίοιο φάσ.

Ἡρωσ ἀθανάτοισιν ἀλίγκι, ὄμμα φαεινόν,
 φίλτατ' αἰέν ἔων ἔρανίοιο θεῶ.

Ομμα κλυτὸν καὶ κῦδ' φροντιστήρις ἡμῶν:
 πατρίδ' ἡμέτερης καὶ ποτέν ἐσόμεν.

Χαῖρε, Διώασα, μακάρια, ὅσπε κεν αἰθέρα νοαίεις,
 Ἄιέν γηθήσεις ἔρανίοισι δόμοις.

Εν τῷ τῆς Διαλέξεως τῆς πανηγυρικῆς
 ἐπιλόγῳ, ἱε μαιμακλήριων, συμ-
 παθείας χάριν, ἐξηγησάμην

Petrus Piscator D.

II.

*D*um me Jena videt pectus formare per artes,
 Completurus eram dum tria lustra brevi;
 Mors rapit; implumes veluti super arbore pullos
 Agricola figit vulnere seva manus.
 Disce meo exemplo postrema haud immemor hora
 Vivere, momento namque fuisse potes.
 Infimus aut summus fueris, signabere paucis,
 HIC JACET.


Joh. Suevius D.

Sic

SIC RUTHENE jaces, generosi sanguinis heros,
 Annos qui Pylios vivere dignus eras.
 Morbillis (heu!) afflavit te sæva malignis,
 Rumperet ut vitæ stamina Morta tuæ.
 Quid doctrina tibi, viridis quid profuit ætas,
 Quid probitas, stirpis nobilitasq; tuæ?
 Talia non curat, quæ parcere nescia, Parca:
 Quæ necat & tollit quidquid in orbe viget.
 Sed benè. Tu cunctis ereptus nempe periculis,
 Et, quæis fortè brevi terra obruenda, malis.
 Cælicolas inter sanctos turbamq; beatam,
 Adspectu fruëris colloquioq; DEI.
 Quàm bona, quàm felix hæc permutatio vitæ;
 Pro lacrymis si quis gaudia læta capit!
 Salve magne Baro: victâ de morte triumphæ:
 Vita tibi CHRISTVS, mors tibi facta lucrum.

Elias Reufnerus L.

συμπαιθείας ἐργὸ F.



PARODIA HORATIANA.

Ex I. Carm. Od. IIX.

Mors fera dic per umbras
 Oro te, RUTHENIADEM cur properes necando
 perdere. Cur apricum
 liquerit Solem rutilans stemmate per vetusto?
 Cur neq; miliones
 inter aequales sedeat, blandula nec Camænis

B

temperet

temperet ora doctis.

Cur nequit fontem gelidum tangere, quem Caballus
Bellerophontis ungue
foderat quondam, neq; jam vivida gestat armis
Brachia, saepe curâ

Saepe plus justò studio nobilis expedito.
Nillatet. Heu parentis
filium dicunt misera cum lacrymis referre
funera, ne futuros

impetus mundi & varios perciperet tumultus.
Molliter ô RUTHENE,
Pòst receptatura animam membra cubent sepulchro.

M. Thomas Sagittarius
Prof. publ.

V.

Quid dicam RUTHENE tuum dum specto feretrum?
Quid loquar! ô possem sistere qui lachrymas?
Aoni columnen nostri, decus, ornamentum,
Proximus & capiti, & gemmula fontis eras.
Alma Salana vide, quàm nuper cincta potenti
Praesidio, tristis jamq; relicta jaces.
Saxonicam petière domum nigra fulmina lethi:
Illustris primò posthuma victa jacet.
Incumbensq; toro propè verba novissima dixit
FRIDRICVS princeps: heu dolor! heu lachryma!
Et quoque Dux nostris hinc JAN-ERNESTVS ab oris
Decessit, cordi cui haecce Salana fuit.
Sic fatum graviter dextrum percussit ocellum,
Excussit levum magna Salana tuum.
Sed DEVS à dexisq; & dextrum sanavit ocellum,
Nobis at levum reddere quis poterit?

O dolor!

*O dolor! O planctus! clara virtutis acumen
Illustri ex vultu, ac moribus emicuit.
Eluxit pietas, ardor Musasq; fovendi
Adfuit, & labiis dulcia verba dedit.
Gratus ocellus erat, juvenum FLOS, Nobilium LVX,
Quem fero linguâ, animo, pectore & ore colo.
Mens generosa vale, cælestis stella Lyccii,
Dive Ruthene vale, Dive Dynasta vale.*

Subjectionis & συμπαθείας declarandæ
gratia de properabat

**JOHAN-GEORGIUS à Salvelt/
Nob. Thur.**

VI.

HÆc, hei, crudelis fati violentia, mortis
Hæc vis, ut pulcrum non sinat esse diu.
Hoc deflent Musæ, lugens hoc bellipotens Mars
Arma ad marentem tristia veritt humum.
Hoc & tristatus deflet Salanus Apollo,
Dum, RVT HENE, cadis, dum cadis ante diem.
Lugubres Musæ nunc, ô, iterate querelas,
Concidit en vestri gloria magna chori.
Nunc & tu Pallas lacrumis mollesce, per atram
Vim mortis jam spes irrita facta tua est.
Sed quid lugendum? RVT HENO vita reluxit
Quam nunquam perimet vis inimica necis.
Plaudite Pierides. plaudit RVT HENVS in oris
Elysiis, mortis gaudet juisse viam.
Nec non candentes iterum Mars erige cristas,
Quem tibi sperabas, MILITAT ISTE POLO.

Christophorus ab Hagen.

HÆc Ruthenus ait vita clausurus ocellos,
 Hos dedit extremos, vox generosa, sonos:
 Flos ego Ruthenæ stirpis, vernante Juventa
 Flores Musarum carpere dum satago,
 Floris ad exemplum vix dum florescere cæpi,
 Ætatis nondum flore cadente, cado.
 Haud sanè invitus. Quia fert tua CHRISTE voluntas.
 Dulce tuum ad nutum, vivere, dulce mori.
 Mors cape nunc, corpus tu sueto trade sepulchro,
 Ast habeas animam, tu pie CHRISTE tibi:
 Post hæc expositam terrenis fortè periculis,
 Tutius in gremio, CHRISTE, repono tuo.

Albertus à Rhoreques Silesius.

HÆc quod mancipio nulli datur, omnibus usu
 Vita fugax, breve quæ non sine clade bonum:
 Missis majorum se vâ quos mille peremit,
 Pluribus exemplis, trux Libitina manu:
 Testis sufficiens, quæ jam vel Jena recentis
 Funeris aspectu pressa dolore stupet.
 Nam lux Septembris vix ut duodena recessit,
 Vespertina novem vix dedit hora sonos,
 Henricus Major magnis virtutibus heros,
 Et Rutheniaca spesq; decusq; domus,
 Cui penitus nondum quinquennis olympias acta
 Ter fuerat, morbi vi superatus obit.
 Scilicet in campo veluti vernante videmus
 Sæpe rosas victas purpureasq; mori:
 Henricus primo viridantis flore juventa
 Sic stricta mortis lege jubente cadit.

Est

Est cui non ullus vel dicto laesus amaro,
 De vitiisq; fuit nulla querela suis,
 Quin potius placidus, veneratus fraude rejecta
 Est studiis homines, & pietate DEVM.
 O duram legem, quam non sua flectere virtus,
 Nec pietas potuit, nec vigor ingenii.
 Dignus erat Pylias vita qui duceret auras,
 Dignus perpetuum qui superesset, erat.
 Sed quo quis melior tenera probiorq; juventa,
 Heu citius (dolor heu) fata suprema subit.
 Ærumnas vita forsanne cernat acerbas,
 In nos quæ densa mole videntur agi.
 Te felix viridi qui nunc extinctus in ævo
 Mutasti vitam cum meliore malam:
 Corpus inane pares, rogo, stannea tumba recondat,
 Et pars in cælis enthea degat ovans.
 Plura dolor prohibet, luctu nec victa furente
 Suggestit ingenio Musa vocata meo.
 Ossibus esto quies, generosa gaudia menti,
 Dum corpus Christo mox duce surget humo.

Tobias à Zhemmen.

IX.

Omnibus ex æquo mors imperat invida: Nemo
 Evadit rapidas illius arte manus.
 Non Pylioparcit regi, nec latro Maroni,
 Nec tibi quâ juvenis Pella superba tumet.
 Non Jovis è tabulis opus est producere testes:
 HENRICE heu Major, testis es ipse BARO.
 Quàm breve vivendi spacium tibi munere Jovæ
 Concessum! Boreâ ceu rosa tacta cadis.

B. 3

Sed!

*Sed cadis in DOMINO. Quam vellet nostra Salaria
Te superesse: gemit: Vivere dignus erat.
Illo etenim magno Fautore vigente, vigebam:
Mortuo eo tantum non vigor omnis abit.
Sed quid? Sic iussit summi clementia Jovæ:
Vtile qui novit quid fiet usq; SVIS.
Non tibi displiceant cita fata, ô Dive Ruthene,
Sunt citus in vitam transitus illa novam.
Quæ nova sit vita? est DEVS, est DEVS ipse. Beatus
In Domino mortem qui subit, ille subit.
Subjectionis ergò condolens
scribebat*

Wolffg. Albertus à Stein/
Variscus.

X.

Heinricus Rütthenus.

ἀναγχαμ.

Triste! nunc re vivis.

ERgò jaces quoque Tu, flos ô generose Dynastum
RUTHENUM, MATRIS sic amor ergò jaces,
ergò jaces PATRIÆ spes, & Patruum solamen,
ô reliquorum FRATRUM decus ergò jaces?
ergò jaces, & cordolium MATRI, PATRUISQUE
deliquium, reliquis FRATRIBUS & lacrimas,
& PATRIÆ gemitus facis, & facis omnibus heu! heu!
omnibus ah! ah! ah! voce facis querulâ?
Quantus! quantus eras! quantus pietate! colebas
quàm verè verâ relligione Deum?
preditus heroo quàm animo, quàm corde sereno,
quantus! quàm doctâ preditus indole eras?

quantus

quantus erat doctas tuus in Musas favor, atq̄
harum in cultores pectore quantus eras?
quantus eras virtute, ô quantus moribus, ecce!
noras his donis ritè referre PATREM!
Ritè referre PATREM: ILLE, piis pax manibus, olim
quando interceptus Parca ope & insidiis,
Te fore Te columen PATRIÆ quandoq̄ putabat,
Te fore Te MATRIS consilium, auxilium.
Sed quid? sic (triste, ô triste!) hæc spes fecit abortum,
Tu sequeris PATREM qui ante Tibi præiit.
Sed quid? mos JOVÆ hic: citius, quos diligit, aufert,
hos ornat citius gloriolâ aureolâ.
Quamvis sic ternas vix vixeris ergò, RUTHENE
MAJOR, Olympiadas, nunc tamen in requie
re-verâ vivis, PATREM, avos, proavos, abavosque,
& JOVAM cernis de facie ad faciem.
O abitus felix: ô Mortæ læta tyrannis,
prodest quæ tantum, quando nocere cupit.
Te Dominus dedit, abstulit & Dominus benedictum
sit nomen Domini in secula cuncta. Sat est.

E J U S D E M.

P I S M A N I B U S.

Heinricus Ruthenus Major.

ἀνάγκη μαρτυροῦσα.

In his vera Mors hunc eruit.

His in turbelis mundi. Mors vera RUTHENUM
MAJOREM vitæ invisit, & eruit hunc

è vitâ.

*è vitâ. Ergo quid est lacrumis opus? ipse amavit
quem DEUS, actutum præmoritur juvenis.*

Debitæ gratitudinis

ergò

à M. Balthafare Thammio

Rochlicio-Misno. LL. Stud.

Viro Præstantissimo,

DN. JOHANNI RICHTERO, &c.

Fautori meo observando.

L *Vetus quantus adest, quantus adest quoque*
LO RICHTERE, dolor! Funus ut improba
movit triga Deum, sic brevavit ut

RVT HENO incluta stamina?

Hunc certè velut annum imbricitor Notus
totum pertulit his nubibus horridis,
& nobis fuit ut vix nitidum jubar

Solis cernere flammei:

Sic nostri madefacti heu! oculi hætenus,
obcædes Lachesis pallidulas mala,
siccari, potuerunt neque cernere

auram leticia bonam.

Sed, RICHTERE, tuæ noli ita fluctibus
indulgere malis mesticia: modò
hunc luctum placido pectore sustine:

SIC NOSTRO PLACVIT DEO!

Christianæ commiserationis

E. mittebam

M. Balthasar Thammius

Rochlicio-Misnus.

Heu

Heu spes fallaces hominum! heu fallacia vota!
 Heu mundo quantum lubricitatis inest!
 Heu quantum luctus, quantum est in rebus inane,
 Dirane mors tantum se illatebrare potest?
 Ante duos se vi morbi vis ignea menses
 Membra infestarat, DVX FRIDERICE, tua:
 Vidit, & expavit tota aula, atque incluta mater
 Cum prole illustri numina voce cient.
 Numina sancta cient longo septem ordine fratres,
 Fratres, queis sol nil vidit amabilius.
 Audiit omnipotens, iussitq; recedere mortem,
 Atq; Ducem ex ipsis surgere sandapilis.
 Non tulit hoc facinus Libitina, movetq; querelas
 Clotho, nec imperium, jura nec esse rata.
 Ereptum hunc bolum lugent, & nobile lucrum,
 Vindictamq; sibi Marte vel arte parant.
 Atq; ita te, HENRICE, invadunt magno impete, & amplum
 Diræ transmittunt Persephone spoliū.
 Sic moreris. Generose Baro, juvenantis in ipsis
 Gloria & ætatis carceribus moreris:
 Occidis in primo generosa flore juvenæ,
 Occidis, in fausto ceu rosa pressa pede,
 Ceu seges, in viridi quæ luxuriabat arista,
 Imbre cadit, ceu flos, qui madefactus aquis.
 Flet Sala, & strepitu strepit horrifono, indignata
 Ante diem tantum succubuisse decus:
 Ipsa flet aula, Scholæ nostræ totusq; Senatus
 Incedit tristis, flet studiosa cohors,
 Tantum de subito juvenem occubuisse, senectâ
 Trissecli herois qui benè dignus erat.
 Dignus erat, mores sive inspiciantur, & illa
 Vis, quâ pollebat rarior ingenii:

C

Sive

Sive paternorum & maternorum inclutum a vorum
Atque domi partum militiæq; decus.
Quid prodest variis virtutum ornatibus, & tot
Rerum doctrinis excoluisse animum?
Quid prodest longas brumali sydere noctes
Ad lychni ardentem per vigilasse facem?
Non prodest certè, sed obest, siquidem optima quæq;
Netrices gaudent stamina rumpere anus:
Ipsaq; mors miseris si quid videt utile terris,
Forficibus subito demetit indomitis:
Improba sed vulgi merx tuta hinc inde vagatur,
Atq; urbis passim compita cuncta replet.
Heu spes fallaces hominum! heu fallacia vota!
Heu mundo quantum lubricitatis inest!
Dudum ego sic tacitâ volvebam mente, profectò
Magna Ruthenorum est laus & opima Ducum.
Antiqua est generis clari & laudata propago,
Claros fecerunt fortia facta patrum:
Magna illis vis ingenii, sapientiæq; acris,
Et, quæ Saturni tempore rara, fides.
Hanc veterum laudem præsentès plurimùm adaugent,
Et nova dant priscis nomina nominibus;
Sive prius belli spectes, pacisve labores,
Sive animum instructum nobiliore pens.
Illos quin etiam videas, quos nostra Salana
Nutrit, consimilem laudis inire viam.
Hos pietas, hos prisca fides, hos mentis acumen
Exornat, morum justitiæque decus.
Felicem ô populum, totoque ex asse beatum,
Principe sub tali vivere cui dabitur!
Sic tacitâ mecum, spe plenus, mente loquebar,
Et DEVS, addebam, faxit ut hæc rata sint.

AST

Ast infelices hæc omnia vota tulere
Venti, omnesq; preces sustulit aura levis.
Extemplo nam fama volat, periisse RUTHENVM
Majorem, & nigras jam subiisse domus.
Obstupui, arrecta steterunt coma, & impia dixi
Vix singultato, qua nova fers, sonitu?
Occubuitne decus Ruthenæ nobile gentis,
Ingens Pieridum gloria, & unus amor?
Ha! quis nunc fletus, lachrymas quis temperet! atrî
Sydera proh nimium cœli inamabilia!
Qua tanta invidia hæc, qua tanta potentia mortis?
Num imperium fortuna impositum est manibus?
Sic Deus hæc curat mortalia? siccine credam,
Invida supremum vincere fata Jovem?
Dum nunc illa jacet Charitum illibata medulla,
Dum multorum unâ cura laborque jacet,
Fundite Pierides, lachrymabile fundite carmen,
Et citharæ carmen flebile fila sonent:
Collegiû periit decus irreparabile vestri,
Et vestro abcessit gloria magna choro.
At tu, quando tuas fama hæc pervenit ad aures,
Chara parens, quo animo, consiliove quo eras?
Quod si hominem tanti potuere necare dolores,
Debueras illâ tuce quoq; ipsa mori.
Sed cave tabifico nimium indulgere dolori,
Sed gnati levius fer mala fata tui:
Quem immeritò certè ploras, cum incommoda mortis,
Vita adeò penset laudibus eximiis.
Nam satis ille diu mihi vixit, qui benè vixit,
Qui malè, non vixit, sit licet ille senex.
Nunc tibi felicem requiem, Generose adolescens,
Exopto, ut tua sic molliter ossa cubent,

*Ultima lux donec rursus te adducet in aulam
Caelestem, quã stat mansio multa piis.
At tu summe DEVS vitæ unice fautor & autor,
Omne cui mortis subjacet imperium,
A nobis precor hunc mortis depelle furorem
Sævum, & Ruthenis parce superstitionibus.
Parce pio generi, feralemq; abjice sicam,
Ad laudem hoc seræ posteritatis erit.
In testimonium debitæ συμπαθείας
scripsit*

Conradus Husvedel. M.

XII.

H*eu fors infelix! Heu tristia Fata Salana!
RUTHENIÆ cecidit gloria magna domus!
Heu cecidit, cuius vixit sub pectore virtus,
Ingenio Pallas, gutture Mercurius.
Heu cecidit, domui labenti morte paterna
Qui validam quisset ferre superstes opem.
Qui vitam Patria potuisset reddere, regno
Robora, & huic nostræ gaudia mille scholæ.
O vitam haud vitam, non gaudia gaudia, quæ pro
Nectareæ sortis dant cumulo, tumultum.
Est DEVS in cælis, cuius mens provida sancta est,
Parendum est, quò nos Fata DEVSq; vocant.
debitæ συμπαθείας ἕνεκα F.*

M. Andreas Starckloff.

XIII.

F*ati a deonè datur nulli transmittere Syrtes?
In vitâ nihil est a deonè incertius ipsâ.*

Vitâ?

Vitâ? quàm vellem documento dicta probare
 Vel veteri, (quam multa seges!) noviore vel hostis!
 Sed dolor ô! dolor ô! documento dicta probare
 RVTHENI cogor, quo se jaçtabat alumno,
 Quoque superbibat vel adhuc herè nostra SALANA:
 Et merito: sic Lucifero se jaçtat Olympus:
 Imò quo Plavio nullus de sanguine, nostram
 In tantum patriam potuit spe tollere: Namq;
 Vni quicquid habet, dederat Natura bonorum,
 Si genium, mentem, corpus, si cetera spectes.
 Hic RVTHENVS erit patrium fama una per orbem.
 Jam nihil ex illo restat, nisi nominis umbra,
 Vel si quid restat nobis, sanies malè olens est,
 Aut sunt monstrosi vermes: ô mæstitia omnes!
 O omnes lacrumæ! suspiria ô omnia! ô omne
 Cordolium! ô illud Corclum prænobile, sacrum
 O illud cerebrum, virtutum illustre sacellum,
 O illud cerebrum vermescere! Linguane & illa
 Qua tumidos angues cicurasset, & an quibus esca
 Est modò? magnifica illa manus rodetur echidna?
 Heu, cheu oculi, ô oculi, illa duo astra benigna
 Sic cinerescetis? textura ô nobile corpus
 Eximia in cineres sicne ibis desolatos?
 O omnes lacrumæ! dolor omnis! mæstitia omnes!
 Certè trux nimis es, nimis, ô Mors: Fleçtere Corclum
 Illud quèi nequii tibi cor, si cor tibi, monstrum?
 Fleçtere quèi nequii te, ô te, sonus ille beatæ
 Lingua? flexisset sed te, nisi tu malè solers
 Ne loqueretur, eam jugulatura insedisses.
 Fleçtere quèi nequii te atatula amabilis? imò
 Vere metit nunquam lactentes messor aristas:
 Fleçtere quèi nequii, blandi sub imagine fratres:

*Te laniatum irrepentem, divina legentem
 Dogmata, cordis herum generosi, quando videbas?
 O infesta dies, quamvis ea festa, tuo te
 Quae primum lecto moriturum tradidit, Heros!
 Et Mortis, non Martis erit lux postmodò, quae te
 Vidit luctantem, sudantem in mortis agone,
 Quae Matri, ab Matri misera, leua omina plura
 Exhibuit, bubo, aut cornix clamaret in aula
 Cum patriâ, aut anguis sua sibila fissa sonaret:
 O lux infelix, nigro damnanda lapillo!
 Inprimis, RICHTERE, tibi, praedata tibi quae
 Discipulum tantum, tantos praedata & honores,
 Imò quae vitam, vita superest adeò nil
 Hâc moriente, tibi, vitâ, sed pallor & umbra es.
 An fremuit circum caput, uno forfice Clotho,
 Annè torum vobis Libitina instravit & unum.
 Quando tentabas animam excipere oris hiatu
 Opposito fugientem, vel comitarier ipsam,
 Vel sequier; quando claudebas lumina fessa
 Heroi, in vitis digitis, atque oscula labris
 Vltima figebas, repetens iterum, atque iterum ista?
 Frustrâ tentabas, sua vitæ meta cui vis,
 Et lethum, & tempus lethi determinat omni,
 Et lethi terram divini sanctio Fati:
 Imò mihi glebas terræ determinat, ossa
 Quæis mea vult contecta, volet si tecta putrere.
 Tu moribunda igitur Mater sepone dolores
 Cum Nato in tumulum tristem, Germanidos & vos
 Sidera, vos Fratres dico, Divæq; sorores,
 Ne dolor in Fratris vestri succedat amoris
 Oro locum; nec tot gemitus, RICHTERE, vorato:*

Nolensi

Nolenti fera sunt, sunt lenia Fata sequenti.
Imò nihil terra de vestro creditur, atque
Vestri terra, illi quæ carcer: Spiritus astra
Sub se miratur, stupet ad miracula celi:
Hunc circum proavi, proavorum abaviq, ataviq,
Inveniunt qui se leti in juvenante Nepote:
Heros agnoscit patres, inquirit eorum
Nomina cum factis, demirans fortia facta.
Cur animos ergò depletis suspiratu?
Atqui immaturus decessit: Non: quia, quantum
Vivere debuerat, vixit: maturuit imò
Mente suâ, ingenio; vicit vitia omnia, prudens
Ætatem supra: Fini matura propinqua.
Nec potuit mens dia diu perferre molesti
Corporis angustum: Magnis in corpore grata
Ingeniis non est mora: Quò propiora Deo sunt
Hoc sociantur ei citius. Finitis aquantas
Cur ergò lacrimas nunquam? Nec abesse dolebas
Tu mater vivum, vivum jam fingito abesse:
Tanti quodque malum, quanti taxavimus illud.
Vulnus & hoc, quæ tota malis exercita pulchrè
Fer: Sed adhuc paucos si vixet vita mea annos
Quis scit an ex vestrà fama atq, salute fuisset?
In vitâ nihil est certi, mutantur in horâ
Omnia vel decies unâ: Post terga reliquit
Horrendas vitæ Syrtes, scopulosq, minaces,
Ad quos Divorum quoq, rudera cernimus atra;
Et lugetis eum defunctum? Vivit (o ævum
Vivat triseculum) diis in Fratibus, illi
Abstergant lacrimas vobis, mentemq, serenent.
Sed tu RVTHENI Mens felicissima Salve,
Æternum Salve. Celoque Deoq, fruare,

Et

*Et lacrumas has crede meas mera thura fuisse,
Quæ tibi libo tui semper stupidus mirator.*

*ITERVM SALVETE, Salvete iterum
O Magni RUTHENI manes
à
CULTORE vestri æterno*

Adamo Sinnero Silesio.

XIV.

DESUMPT. EX lib. 2. Sam. c. 1.

ISaides Princeps, Jonathan cum se va necassent
Arma, dat indici luctus mandata Colonis.
*An non & talem Jonathan jam Morta necavit?
An non dira piæ merse pericula mortis?
Occidit Henricus Ruthenus, & heroum flos,
Salanis ceciditq; jugis, quem castra secutum
Justicia, pietatis, honoris, religionis,
Armabat virtus, atque haud trepidare sinebat,
Nam vernabat adhuc annis juvenilibus ætas.
Vos ergo, ô Natæ, Ruthenis matribus ortæ,
Morte pio extinctum planctu lugete Baronem,
Purpureo vivus qui vos decorasset amictu,
Aurea quiq; & vobis ornamenta dedisset,
Auxisset formam, crines nodasset in aurum.
Et vos, ô Nati, Ruthenis matribus orti,
Et vos de Schonburgiaco quoque stemmate nati,
Fratrem, cognatum vestrum lugete peremptum.
Dulcior huius erat nam gratia, mensq; fidelis,
Quàm vos si qua modo concessio, fœmina amasset:
Atq; huius membris vitæ cum robur inesset,
Morum, animiq; decus referebat dotibus amplum.
Grata Deo pietas testata est: alma loquetur*

Jena:

*Jena: ferent nunquam fama morientis honores.
Excelso quamvis Jonathan vis sava peremit
Monte; tamen virtus vivax, expersq, sepulchri est.
Sic, quem multa movet magnarum gloria rerum;
Æquariq, cupit summis, cum laude, Monarchis,
Æquariq, cupit nostro, cum laude, Baroni:
Christum surgentem, ad patris dextrasq, sedentem
Respiciat: regnum huic cæli, divinaq, sedes
Obtinget: sic nomen, honos, cum laude, manebit.*

M. Andreas Pulcius Rondeburgensis.

XV.

AD ILLUSTRUM ET GENEROSUM D. HEIN-
RICUM RUTHENUM MEDIUM DEFUNCTI
Fratrem.

*Q*uis jam non doleat tecum, Generosa Propago,
Quam RUTHENORVM stirps generosa tulit?
Quis non tabificos cupiat lenire dolores,
Et luctus omni parte levare tuos?
Cum tibi ferali charissima quæque sagitta
Ex oculis rapiat mors truculenta tuis:
Cum te sic cogant veteres renovare querelas,
Quæ cruciant animum, tristia fata, tuum.
Nam nondum quintus sua tempora finiit annus
Cum Illustrum fleres interiisse Patrem,
Qui metuens semper Divini Numinis, omnem
Traduxit vitam cum pietate suam:
Semper consiliis habitus non futilis autor,
In bello cui nec frigida dextra fuit.
Sensit id Hispanus, qui plurima vulnera sensit,
Illi quæ fecit tam Generosa manus:
Tàm Generosa manus cum ferret Belgica signa,
Egregiè pugnans tam Generosa manus.

D

Vix

Vix hunc abripuit mors o' fera! vixq; sepulchro
Impositus, rursus mors inimica venit:
Vix huius tandem curam vulneris ictus
Ceperat, & rursus mors inimica ferit.
Abripit & Fratrem, quo non est charior alter,
Qui patrem equasset dotibus ingenii:
Conceptam de se spem qui superasset eundo
Arcto praclarum tramite honoris iter;
Si non Parca ferox & mors properata tulisset,
Quis teneat lachrymas? hoc decus ante diem.
Quod cum sit factum nimios moderare dolores,
Ex animo immodicam projice tristitiam
Illa DEI nostri fuit optima & aqua voluntas,
Quod placet huic, placeat; quod probat ille, probes.

Scripta à

Paulo Freundt Cizensi.

XVI.

Flosculus ut viola per culta novalia finem
vix ubi crevit, habet:
Haud secus in vitæ flaccescit limine nostræ
plantula pulchra scholæ.
Nempe jacet, jacet heu! florenti temporis ævo,
cenrosa verna, Baro.
Hunc natale solum luget, salanaq; guttis
ora genasq; rigat:
Mærent cognati, fratres, mater pia gnati
tristia fata dolet.
Et meritò. Patriis quem præsidium fore terris
spes erat, ille jacet.
Quem Decus & fratrum, matris columenq; futurum
spes erat, ille jacet.

Et

*Et quis non ploret? cunctis qui fecerat, amplas
spes, cadit ante diem.
Sed fletus modus esto. Licet tellure tegantur
corporis exuvia:
Spiritus aſt Domini cum CHRISTO vivit, in ævum
calica tempe colens.
Hic, generose Baro, te fama perennat; & illic
Præmia summa manent.*

à Casparo Neandro Altenburgense Misnico
S. S. Theol. Studios.

XVII.

UT nihil ergò manet constans mortalibus! ut nil
Vsquàm leticiæ candidioris habent!
Scilicet ut resonans transit modulatio chordæ:
Sic hominum pereunt gaudia, flosq; perit.
Triste heu! plus nimio triste, heu! paradigma relinquis,
O RVTHENIACÆ clara columna domus:
Te nempè HENRICVM majorem, te puto; Numen,
Ac Lumen sibi quem JENA fuisse rata est,
Funere dum mæstò mors præfestina dierum
Te rapit ante diem, funerat ante diem.
Eheu! quàm doleo, bona tot, tot donaque mentis
Indole sic tecum deperiisse catâ.
Seu pia fallebas ducentibus otia Musis,
Ingenio liquido promptus & acer eras:
Seu studia armata prænsabas nuda palestra,
Signa rudimenti laudis honore dabas.
Cætera quid memorem generosæ munera mentis,
Corporis accrescens quid memorémve decus?

*Nunc tamen ecce jaces viridanti in vere juventa,
Ecce! jaces heros; flos sacer ecce maces!
Inunc, atq; tuo nunc, ô homo, fide vigori,
Inunc, & gaude corporis usq; bonis!
Sed me quò stimulans dolor abripit? Ergoné J O V Æ
Idcirco obsisto, qui BENE cuncta facit?
Absit! vixisti satis, ah! RUTHENE, superq;
Nam benè qui vixit, vixit & ille diu.*

Joh. Bacufius Wangenheimensis
Tyrig.

XIIX.

ΘΡΗΝΩΔΙΑ.

R*Vet profanum vulgus ad Inferos
Negans futuri gaudia seculi:
Succedet hospes Christianus
Sedibus etherii Roseti!
Et est rata hac res. Nam Necis in viros
Necemq; in ipsam est imperium DEI,
Paschalibus clari tropais,
Queis reserata sepulcra humatis.
Ob id tenet cuiusq; dies DEVS,
Easq; pro nutu variat suo.
Est interim vivacitatis
Dissimilis ratio per omnes,
Decennium hic, alter superest diem:
Ita IRVS, & CROESVS. Pari enim gradu
Sortitur imos, atque primos
Hora suprema Necessitatis.
Nec hanc dapalis cœna moratur. Vt
Enim micans ensis super omnium*

Cervici

*Cervici dependet, nec arte,
 Nec prece, nec precio movetur:
 Sed hac, & illac exedit omnia:
 Nec agricolorum tenues casas
 Fastidit, umbrosasve scenas,
 Nec Capitolia marmorata.
 Capax supremos urna apices movet.
 Quin & Dynastas Mors perimit viros,
 Nec parcit intactis juventa
 Poplitibus, teneroq; tergo.
 Idem docet nos experientia;
 Idem incliti huius Gymnasii vnio
 Prælustris HEINRICVS RVTENVS,
 Quem Libitina modò sacravit,
 Et ex DEI jussu superùm choris
 Ad addidit nostrâ citius spe: At id
 Ipsius haud agrè ferebat
 Mens generosa animi. Ecce causam;
 Fie exequentem quod PIETAS jubet
 Nec incitata spicula territant
 Mortis, nec istinc profluentes
 Varioli, aut febrium cohortes.
 Nec inquietat calva Calumnia,
 Draco ve mordax, nunc sceleris pios,
 Nunc arguens vitæ malè actæ,
 Nunc Lemurum exagitans catervis.
 Ei vnio hic noster loculo inditus
 Ad astra pergit, colloquio DEI,
 Ac Angelorum interfuturus,
 Ambrosiâq; Beatitatis
 Labrum liturus. Sed timor, & tremor
 Eunt eodem, quo reprobos CHARON*

Deducit ignitâ trivemi:
Postq̄ malos NEMESIS quiescit.
Nec hâc dolentes passio, nec cruor
Poteſt JESV ſolvere. Nam datur
Ex ungulis Orcinæ Hienæ
Nulla redemptio apud Jehovam.
Hic invidendis poſtibus & novem
Seris Olympi præſtruit atrium:
Post ultimamq̄ orbis ruinam
Hæc redeuntibus obloquetur:
Eas profanum vulgus ad inferos
Edace dignum huius face ſeculi:
Succede civis Christiane
Sedibus hiſce mei Roſeti!

Mauricii Steinmetzi Lipſiâ
Mysii.

Epitaphium eiusdem auctoris.

E *Rexêre recens marmor Pietasque, Themisque:*
Ad quod junctim omnes Dique Deaque cubant:
Immemoresq̄ sui flent, dilaniantq̄ capillos,
Et tuſa tundunt corda retuſa manu.
Cur queris? Caput hic illorum illuſtre quieſcit,
Cuius in elogium nemo ſat eſſe poteſt.
DÖL A cui Patriam, Natales, dogmata morum, at
Doctrinam, & vitæ terminum JËN A dedit.
Quisquis eſ ergò viator iens huc hæc lege; lecta
Hoc incluſa metro pande repande aliis:
Quò cubat HEINRICUS generoſo Patre RUTHENO
Natus, ibidem omnes Dique Deaque cubant!

Si

SLYeterum series HEINRICE RUTHENE Parentum.
 Mascula si virtus Generis, si gloria priscae
 Intemerata Domus, magnique potentia census,
 Gratia si pulchro veniens in corpore, si vis
 Ingenii, doctum si pectus, & æqua benigni
 Integritas animi, blandique modestia vultus
 Lanificas possent fatalia numina Divas
 Flectere: non mortem florentibus integer annis
 Oppeteres, sed vita tibi diuturna maneret,
 Et numerans seros incurva senecta nepotes.
 At neque te Generis splendor, neque propria virtus,
 Nec patriæ fortuna domus, nec amabilis ætas
 Texerunt, manibusque citæ levibusque sagittis
 Eripuere necis: primo miserabilis ævo
 Occidis ante diem. Quis talia funera fando
 Temperet à lachrymis? stupet heu stupet inclyta Mater,
 Nec potis est fletu tantos explere dolores.
 Egregii lugent Fratres, teneræque Sorores
 Candida pallidulis feriunt præcordia palmis.
 Tota RUTHENORUM fremit & tremit aula, gemiscit
 Terra Variscorum pullos induta colores.
 Sala pater luctus, & turbidus amnis Elister
 Non possunt cohibere suos. Academia plangit,
 Deploratque suum velut altera Mater alumnum.
 Sed tamen esto modus lachrymis, iterare querelas
 Quid juvat, & vano nimis indulgere dolori?
 Ultima fata manent omnes, via lubrica lethi
 Cuique semel calcanda, fugit Proserpina nullum,
 Quale sit, & quantum caput: illa maligna RUTHENO
 Præsecuit Juveni crines: sua tempora vixit
 Non malè, jamque dati metas pervenit ad ævi:
 Jam rutilas nitidi stellas miratur olympi,
 Sub pedibusque videns quidquid mortale, beatus
 Despicit. Æternum salve mihi magne RUTHENE,
 Æternumque vale. Tibi jam fortuna peracta,
 Nos miseri tumidis vitæ jactamur in undis
 Incerti quò fata ferant, ubi sistere detur:
 Sed tamen optatos portus speramus & ipsi,
 Sidereasque domos, altique palatia cœli.

Wolfgangus Heider M.

EPIGRAM.

EPIGRAMMA

Illustris & Generosissimi

DN. HEINRICI RUTHE-
NI, QUOD PAUCIS ANTE OBITUM
SUUM DIEBUS SCRIPSIT, UT EST IN LIBRO EJUS
Exercitationum quotidianarum.

*Q*ui cupis ingenuas perdiscere sedulus artes,
Et variis linguis condecorare animum.

*Non potes hoc proprio tibi conciliare labore
Ingenii fretus dexteritate tui.*

*Crede mihi, humanis illud superabile non est
Viribus, auxilium nî DEUS ipse ferat.*

*Hic largus dator est, & fons & origo bonorum,
A quo dimanat quicquid habere velis.*

*Quare age, supplicibus votis venerare JEHOVAM,
Integer & vitæ tempora vive tua:*

Non deerit Dominus, toti qui praesidet orbi,

NAM DOMINI TIMOR EST PRINCIPIUM
SOPHIES.

F I N I S.